



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAENOVIMUS CLERUM MAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS
TITULO

«NUESTRA SEÑORA DE GUADALUPE DE EL CARRIZAL» INVOCATAE,
PATRONAE CAELESTIS CORENSIS DIOECESIS, PRETIOSO DIADEMATE
REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Novimus
clerum populumque Corensis dioecesis singulari colere pietate decoram imaginem Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra
Señora de Guadalupe de El Carrizal» invocatae, quae anno MCMXXVIII constituta est Patrona caelestis eiusdem
Ecclesiae quoniam habebatur praesertim sollicita et provida Mater atque Magistra clarissima Christianae vitae. Qua re,
cum Venerabilis Frater Raimundus Ovidius Pérez Morales, Episcopus Corensis, litteris die XIII mensis Maii hoc anno
datis, etiam fidelium suorum nomine petiverit ut imaginem, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretioso
diademate posset redimire, Nos, paternae dilectionis documentum tam dilectis Venetiolanis filiis cupientes praebere, eius
Pastoris precibus libentes obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et
Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica potestate usi petenti Praesuli partes committimus ut
imagini Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora de Guadalupe de El Carrizal» invocatae Nostro nomine et
auctoritate, quo die velit, pretiosam imponat coronam iuxta probatum liturgicum ritum, contrariis rebus nihil obstantibus.
Minime vero dubitamus quin ii omnes, qui eandem venerantur imaginem, tanto conceseo honore, ad colendam
praecelsam Dei Genetricem magis magisque incitentur. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII
mensis Octobris, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana